



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

1. De ordinatione virtutum triplici.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

propter iustitiam, beati. Item, ut contemptus impiorum contemnat, & irrisiones irrideat. Seneca: *Æquo animo audienda sunt imperitorum conuitia: & ad honesta vadenti contemnendus est ipse contemptus.* Cùm diceretur cuidam sapienti, homines te contemnunt, ait: *Et illos asini.* Sicut nec illi asinos: nec ego illos curo. Seneca. Nondum *foelix es, si nondum turba deridet te.* Deum, nō hominem timeat: quia qui timet hominem, citò corruit. Vera mala, non umbras malorum fugiat. Vera mala sunt pœnæ futuræ vitæ: umbræ illorum sunt pœnæ præsentis vitæ: Omnia transferunt tanquam umbra.

*Epist. 77.  
paulo post  
prim. eius.*

*Pro. 29.*

*Sap. 5.*

SECUNDA PARS PRINCIPALIS. DE  
*triplici ordinatione virtutum.*

CAPVT II.

SEQUITVR de ordinatione virtutum. Possumus distinguere triplicem ordinem virtutum, scilicet ordinem plantationis, ordinem meritoria operationis, & ordinem reparationis. In ordine plantationis prima est fides. Primò enim docenda sunt opera fidei. In ordine meritoria operationis prior est charitas, quasi illam imperans. In omni enim operatione ordinata primum est amor siue desiderium finis: & ex illo sunt mediæ operationes, ut apparet in ædificatione domus, cuius causa est eius inhabitationis amor, ex quo amore, perpenditur non solum ædificatio, sed etiam quæ ædificationem iuuant, ut in-

M 2

quifi-

quisitio operariorum. In ordine ergo meritoria operationis prior & principalior est charitas, & primò mouens. Fides verò deseruit tanquam lucernam præferens, ostendens quomodo & qualiter operari debeat. Illuminatio enim adiutorium est in opere, & illuminator, adiutor, non principalis est operator. In ordine verò comparandi, prior in virtutibus affectus videtur esse humilitas. Si enim omnis peccati initium est superbia: Omnis correctionis principium est humilitas. Huic consonat quod reparator humani generis doctrinam suam inchoauit ab humilitate. Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Secundum glossam pauperes dicuntur humiles. Charitas inter ceteras virtutes, quæ ordinant ad Deum, propinquior est fini, scilicet Deo, quem habet pro fine & materia. Diligit enim Deum propter se. Et cum finem videat; & spes illuc tendat; est enim spes insecutio, sicut timor est fuga; charitas vnio cum fine: Vnde cum finis sit optimum, & fine habeant, quòd sint bona illa quæ sunt ad eundem: charitas primo habet bonitatem inter virtutes, & per eam habent bonitatem cæteræ. Secundum hoc intelligendum est quod dicitur in glossa super illud, 1. ad Tim. 1. quod charitas est radix omnium bonorum, in quantum sunt bona. Et sicut radix humorem mittit ad ramos, sic charitas bonitatem ad opera cæterarum virtutum. Augustinus in sermone de charitate: sicut radix omnium malorum est cupiditas: sic radix omnium bonorū est charitas. Humilitas etiam potest dici radix virtutum, secundum

*Eccl. 10.*

*Matth. 5.*

*Glossa ord.*

*Ad illud:*

*Finis præcep. est, etc.*

*In tract. de laud. charit. in med.*

*Tom. 9.*

Iam proprietatem qua radix est pars arboris infima, terræ inhærens: sic humilitas infirmitatem suam considerans sub Deo collocat se in loco infimo. Fides etiam potest dici radix, quia radix in arbore est, quasi os in animali. Per radicem enim ingreditur ad arborem eius nutrimentum: sic per fidem ingrediuntur ad animam bona speranda & amanda.

*Quomodo fides se habet ad cæteras virtutes.*

CAPVT II.

**F**Idei est providere meditationes disponentes ad cæterarum virtutū operationes. Verbi gratia: Meditatio magnitudinis diuinæ misericordiæ disponit ad spem veniæ. Meditatio diuinæ liberalitatis, ad spem gratiæ & gloriæ. Meditatio diuinæ altitudinis, omni alteri altitudini supereminens, disponit ad Dei reuerentiam. Meditatio diuinæ sapientiæ, omnia quæ agimus lucidè videntis, disponit ad sanctam verecundiam. Meditatio magnitudinis diuinæ dulcedinis disponit ad esuriam sanctam. Meditatio diuinæ bonitatis, qua amore est dignissimus, disponit ad amorem diuinæ amicitæ. Ad dilectionem proximi disponit meditari, quod hoc sit speciale præceptum Christi. Ad amorem Scripturæ sacræ, qua vera prudentia acquiritur, disponit meditatio auctoritatis doctorum eius, & utilitatis ipsius. Est doctor ipse Deus, vel per se, vel per homines veræ sanctitatis: vt patet discurrendo per partes ipsius. Spiritus sanctus reuelavit Moyse quod scripsit de mundi creatione, & de aliis qui ante ipsum fuerunt. Lex Dei

M 3

digito